

Quod quisque fecerit, tamquam necator pauperum antiquorum canonum sententiis constrictus ab ecclesiae liminibus excludatur, donec ab ipso ea, quae sunt ablata vel retenta, reddantur.

In eodem concilio cap. XIII.¹ De his quae monasteriis vineis mancipiis atque pecuniis quicumque fidelis obtulerit, antiquorum canonum statuta servantur, ut omnia in episcopi potestate consistant.

Item in alio eiusdem ecclesie concilio cap. XXII.² Si quis res ecclesiae debitas vel proprias sacerdotis horrende cupiditatis instinctu occupaverit retinuerit aut a potestate eius aliquandiu alienaverit, se ut eas non restituat, nullis rebus excuset; sed si agnito iure^a ecclesiastico non statim ecclesiae vel sacerdoti reformaverit, aut ut^b ipsum ius agnoscere possit, in iudicio electorum venire distulerit, tamdiu a communione ecclesiastica^c suspendatur, quamdiu restitutis rebus tam ecclesiae quam sacerdoti reddat.

Haec de precipuis canonibus Galliarum civitatibus actis transcripsimus, ut ostenderemus quanta auctoritate presules ecclesiarum illo tempore facultates ecclesiae sibi commissas defendendo vindicarent et sub quanta auctoritate et anathemate constringerent eos, qui illas indebite^d possidere conarentur, quia canonum constitutionibus dignus est puniri, quisquis post tot prohibitiones de rebus ecclesiasticis putaverit aliquid impune posse tractare. Contumeliae enim studio fit, sicut ait beatus papa Innocentius ad Marcianum³, quicquid interdictum totiens usurpatur.

De conservandis rebus ecclesiasticis^e, quae a fidelibus sanctae ecclesiae conlatae sunt ac conferuntur. In canonibus Antiocheni concilii ita legitur⁴: Quae sunt ecclesiae, sub omni sollicitudine et conscientia bona et fide, quae in Deum est, qui cuncta considerat iudicatque^f, servantur, quae etiam dis-

^a) iuret *Hs.* ^b) id *Hs.* ^c) ecclesiastico *Hs.* ^d) indebitae *Hs.*
^e) ecclesiasticisque (*statt* ecclesiasticis quae a) *Hs.* ^f) iudicat quae *Hs.*

¹) *Concilium Aurelianense a. 511 cap. 15, MG. Conc. 1, 6 vgl. oben S. 132.* ²) *Concilium Aurelianense a. 538 cap. 25, MG. Conc. 1, 80.*

³) In *JK. 299* steht die Stelle nicht. ⁴) *Concilium Antiochenum cap. 24, Dionysius Exiguus cap. 102, MIGNE 67, 164; vgl. auch die Akten des Aachener Konzils von 836, MG. Conc. 2, 718 f., wo auch die Überschrift ähnlich ist.*